

auxilium simpliciter necessarium ad recte vivendum.

In necessariis ad salutem Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso. — Similiter D. Prosper ad objectiones Gallorum in septima, et ad objectiones Vincentianas, etiam in septima, non solum de justis, sed simpliciter de omnibus hominibus ait Deum neminem deserere, nisi prius deseratur ab ipso, in necessariis scilicet ad salutem, hæc enim Deus nulli denegat ex se et ex sola sua voluntate. Quæ etiam doctrina habetur nomine Augustini, libri ad articulos sibi falso impositos articulo septimo. Denique idem voluit Anselmus, libro de Concordia, etc., capite tertio, dicens: *Sic gratia subsequitur donum suum, sive magnum, sive parvum sit, ut illud dare non deficiat, nisi liberum arbitrium, nolendo, rectitudinem quam accepit deserat.* Ubi attentive sunt expendenda illa verba, *sive parvum, sive magnum*, nam auxilium efficax non solum magnum, sed etiam maximum quid est; ergo de illo etiam maxime verum habet axioma illud.

Confirmatur. — Quarto, alias insufficiens et frivola fuisset doctrina Concilii. Quis enim unquam dixit deserere Deum justos privando eos habituali gratia, priusquam ipsi Deum deserant, peccando mortaliter, ut oportuerit Concilium denuo tradere illud dogma sic intellectum? Item quid hoc conferebat ad intentionem Concilii, quæ erat justos posse recte vivere? nam, licet non deserantur a Deo eo modo, si deseruntur quoad auxilium efficax, ita ut non sit in potestate eorum illud habere, certe non poterunt recte vivere. Eo vel maxime quod hæc desertio alteram includit; nam qui privatur auxilio efficaci, consequenti necessitate privabitur sanctificante gratia. Et hoc illi imputabitur ad culpam, secundum illam sententiam, quod profecto acerbius est quam privari habituali gratia sine propria culpa. Deterius enim est peccare, et propter peccatum gratia privari, quam quod Deus gratiam sola sua voluntate auferat; ergo nullo modo dicendum est Deum deserere justos quoad auxilium efficax, ex sola sua voluntate, priusquam deseratur ab ipsis; ergo nec admittenda est doctrina quæ illum providentiæ modum circa non prædestinatos Deo attribuit.

Evasio adversariorum. — At enim dicit aliquis, hunc fortasse fuisse peculiarem lapsum illius auctoris et defensoris physicæ prædeterminationis; tamen ab aliis ejusdem auxilii

defensoribus non admitti doctrinam illam, nec habere necessariam consecutionem cum sententia de physica prædeterminatione per se sumpta; ideoque, licet optime impugnetur ille providentiæ modus, non inde impugnari sententiam de physica prædeterminatione.

Præcluditur. — Qui autem hanc responsionem dederit, oportet ut modum probabilem evadendi illationem et consecutionem illam nobis ostendat. Nam revera auctor ille satis consequenti ratione, et (meo iudicio) evidenti illatione compulsus est, illud consequens admittere. Nam, si auxilium efficax antecederet necessarium est, in ipsa voluntate receptum, ut ipsa possit elicere actum, necessario sequitur non esse in potestate libera voluntatis habere vel non habere tale auxilium, quia solum est in potestate receptiva illius; unde consequenter sequitur non pendere ex voluntate hominis libera habere, vel non habere tale auxilium, sed solum ex Dei voluntate, ac proinde ex se decrevisse non dare illud omnibus quibus de facto illud non dat. Hinc autem cætera consequuntur quæ ille auctor concedit. Assumptum declaratur breviter, quia ante auxilium efficax nihil potest facere aut conari voluntas, quod illud auxilium consequatur, quia ad hoc ipsum (quidquid illud sit) necessarium est auxilium efficax, et sistendum est in aliquo primo; ergo si illud non datur, ex mera voluntate Dei non datur, sine ulla causa ex parte hominis; ex illo autem primo cætera pendunt. Tota ergo hæc desertio judicialiter reducenda est ad solam Dei voluntatem, quæ ex se absolute decrevit non dare illud auxilium efficax, sine quo salus comparari non potest, ut consequenter auctor citatus dixit; qui nihilominus in aliis locis, videns fortasse illius doctrinæ acerbitatem, alia diverticula quærit, ut voluntati attribuat carentiam auxilii efficaci, sicut facere etiam solent alii defensores physicæ prædeterminationis, quæ in sequenti capite refellere necessarium est.

CAPUT XVII.

REFELLITUR QUIDAM MODUS EVADENDI SUPERIOREM DIFFICULTATEM, ET IN ALIUM EXTREMUM ERROREM INCLINARE OSTENDITUR.

Quamvis auctores supra relati interdum fateantur aperte Deum ex se negare necessarium auxilium reprobis, nullo usu libero in

eis spectato, ac proinde illud non esse in potestate eorum, dum autem premuntur difficultatibus positæ superiori capite, ne cogantur fateri omnes carere auxilio sufficienti, eisque esse impossibilem viam salutis, aliis in locis alia diverticula quærent, conanturque defendere posse hominem libere sese disponere ad hanc determinationem, et non privari illa nisi qui sua libertate impedimentum ei ponunt. Reliquum ergo est ut hanc partem persequamur, ostendendo id fieri non posse nisi et tribuendo totam originem salutis puro libero arbitrio, et aliquid omnino falsum, et inintelligibile fingendo.

Duobus modis intelligi potest determinatio pendere ex prævio usu liberi arbitrii. — Duobus ergo modis intelligi potest determinationem hanc pendere ex prævio usu liberi arbitrii. Primo, ex dispositione positiva, quia videlicet liberum arbitrium, a Deo vocatum, per Spiritus Sancti inspirationem et illuminationem aliquam, bonum illius usum exhibere potest, quem si positive efficiat, statim recipit a Deo determinationem ad consensum; unde, quando illam non recipit, ideo est quia non bene utitur prævenientibus auxiliis. Secundo, potest hæc determinatio pendere ex prævio usu liberi arbitrii mere negativo, quia, scilicet, liberum arbitrium a Deo motum et excitatum saltem illi non resistit, sed sinit se a Deo determinari. Utrumque ergo modum tentatum et assertum invenio ab his auctoribus, sed in utroque esse insuperabiles difficultates demonstro.

Primo igitur Franciscus Davila in suo libro, cap. 7, pag. 55, sic inquit: *Auxilium præveniens sufficiens est ad salutem, non tamen per se solum potest salutem assequi, nisi ei efficaci auxilii lumen affulgeat, sicut visus est sufficiens principium videndi, non potest tamen actu videre sine lumine; explicans autem hanc sufficientiam subjungit: Qui ergo lethali culpæ subjacet, bene sufficienti utatur auxilio, et præsto aderit auxilium efficax, et cum eo gratia justificans; facienti enim quod in se est auxilio sufficienti, Deus non denegat gratiam.* Quod autem hic bonus usus positivus sit, et per aliquem actum bonum, declarat ibidem, pag. 49, dicens: *Homo, hanc repentinam commotionem (scilicet auxilii prævenientis) in se reversus iudicio ac libertate refovens, dum bene operatur, ad introductionem gratiæ se disponit, tametsi peccato mortali subjaceat.* Sic ergo requirit positivum usum liberi arbitrii, tanquam præviam dispositionem, ad quam

infallibiliter sequitur auxilium efficax; et inferius, cap. 8, p. 73, declarat hunc esse ordinarium modum dandi auxilium efficax ad justificationem; extraordinarie vero aliquando Deum dare hoc auxilium sine illis præviis dispositionibus, quod putat esse miraculosum. Atque hunc dicendi modum interdum sequitur Cabrera, disp. 6, dub. 3, num. 30 et seq., estque frequens inter hos auctores.

Sed interrogo an ille bonus usus liberi arbitrii, et bona dispositio quæ ponitur media inter auxilia prævenientia, quæ sufficientia vocantur, et auxilium efficax, fiat ab auxilio efficaci, vel sine illo. Primum dici non potest, quia dicitur esse dispositio prævia ad ipsum auxilium efficax. Si autem dicatur secundum, ergo illa dispositio est a solo libero arbitrio sine auxilio efficaci; ergo, cum per talem dispositionem fiat discretio inter duos æque vocatos sufficienter, quorum alter recipit determinationem seu auxilium efficax, et alter non recipit, sequitur hanc discretionem fieri ex solis viribus liberi arbitrii. Sequitur etiam actum, solis viribus liberi arbitrii factum, esse dispositionem ad quam infallibiliter sequitur auxilium efficax, et cum eo gratia justificans; quod Pelagianum est. Sequela patet, quia illa dispositio non potest esse nisi aliquis actus bonus et liber, qui dicitur fieri sine auxilio efficaci gratiæ; ergo per solas vires liberi arbitrii.

Responsio adversariorum. — Responderi potest primo, illam dispositionem non fieri sine auxilio efficaci gratiæ, licet fiat sine illo efficaci ad quod est dispositio; est enim evidens ab illo fieri non posse, quia auxilium efficax, a quo fit, debet esse prævium, et prius simpliciter natura seu causalitate; auxilium autem efficax, quod ratione talis dispositionis datur, respectu illius est mere subsequens et posterius. Sicut auxilium efficax, quod immediate datur ad conversionem, non potest dari propter illam tanquam propter dispositionem, quia antecedit illam; nisi quis fortasse hic dicat, quod de habitu ab aliquibus dicitur, esse priorem in genere causæ dispositivæ, seu materialis, licet sit posterior in genere causæ effectivæ. Hoc tamen dici nullo modo potest, alioqui conversio ipsa ut dispositio ad auxilium efficax non haberet supernaturale principium, sed solum liberum arbitrium, quod nemo dicere audebit. Unde, qui distinctione illa in habituum infusione utuntur, saltem putant dispositionem illam, ut priorem, esse ab auxilio efficaci, et respectu auxilii effica-

cis nullum supernaturale principium relinquatur, et ideo in universum, auxilium quod datur tanquam necessarium ut aliquid fiat, non potest dari, quia illud factum est per modum dispositionis præviæ. Recte ergo probat argumentum ex suppositione illius sententiæ, dispositionem illam non esse ab illo auxilio efficaci, quod propter illam datur. Nihilominus tamen addi potest dari aliud auxilium efficax distinctum ab illo, et prius illo, quod datur ad illam dispositionem efficiendam, et non propter illam.

Rejicitur. — Sed hæc responsio, non potest aptari, neque est consequens ad id quod intenditur; nam evertit priorem solutionem, et in idem revolvitur labyrinthum. Nam de illo priori auxilio efficaci, interrogo cur datur huic qui se disponit, et cum ad talem dispositionem determinatur, et non alteri, qui non bene utitur auxiliis prævenientibus, qui procul dubio bene illis uteretur, si tale auxilium et determinationem reciperet. Nam si dicatur causam esse solam Dei voluntatem, qui huic voluit dare illud primum efficax auxilium, et non alteri, solum quia noluit, sine ullo respectu ad dispositionem illius, jam profecto dicitur Deus deseruisse hunc hominem priusquam desereretur ab ipso, et reliquisse illum sine auxilio sufficienti, quia reliquit sine illo primo efficaci, ex quo cætera pendent, et sine potestate vel facultate libera ad habendum illud. Quæ ratio procedit in omnibus hominibus, qui de facto non se ita disponunt, atque ita sequuntur absurda omnia superiori capite tractata. Si autem iterum dicatur illud prius auxilium efficax dari huic et non illi, quia per alium actum se ad illud disposuit unus, et non alter, quæro jam de illa alia dispositione, an sit ab auxilio efficaci necne. Nam si non est, jam ratio discriminis ponitur in naturali usu liberi arbitrii; si vero est ab auxilio efficaci priori, de illo iterum fiet interrogatio facta; unde cum non possit in infinitum procedi, necessario sistendum est vel in prima dispositione, quam liberum arbitrium faciat sine auxilio efficaci, vel in primo auxilio efficaci, quod Deus det uni, et denegat alteri ex sola sua voluntate, sine ullo respectu ad dispositiones eorum, et ita necessario inciditur in aliud barathrum superiori capite impugnatum.

Alia evasio. — *Præcluditur.* — At dicere aliter potest dispositionem illam ad auxilium efficax non esse ab auxilio efficaci, et nihilominus esse supernaturalem, et non fieri

solis viribus liberi arbitrii, quia fit ex gratia sufficiente seu prævia. Sed hoc non sufficit ad evitandum errorem Pelagii. Nam ad actum et dispositionem supernaturalem non sufficit gratia excitans, sed requiritur etiam adjuvans, ut Concilia definiunt; nec sufficit auxilium moraliter movens, sed etiam necessarium est auxilium physice ac vere et realiter efficiens cum voluntate supernaturalem actum, ut in superioribus probatum est, consentientibus etiam auctoribus alterius sententiæ; ergo, si hæc dispositio supernaturalis est, non sufficit ad illam efficiendam gratia præveniens ut sic, sed requiritur præterea adjuvans et concomitans. Nec satis est gratia sufficiens ut sic, quatenus moraliter excitat, sed requiritur gratia actu et vere efficiens, quæ non potest non esse efficax, cum suum effectum habeat.

Declaratur præcedens doctrina. — Declaratur, nam si quis, sufficienter vocatus ad fidem supernaturalem, adhibeat rebus sibi propositis quamdam fidem humanam, quam naturæ viribus potest præstare, per illum actum nullo modo se disponit ad aliquod auxilium supernaturalis gratiæ, quia ille actus in se et in principio elicente mere naturalis est, licet in tali homine habuerit originem, vel occasionem a revelatione divina, et ab aliqua gratia excitante, et sub eo respectu possit dici aliquo modo supernaturalis. Sic ergo in præsentia, si dispositio illa elicitur solis viribus naturalibus voluntatis, tantumque dicitur supernaturalis per respectum ad aliquam gratiam excitantem, cujus occasione fit, non potest censi illa dispositio sufficiens, ut ex illa infallibiliter sequatur auxilium efficax, quod secum necessario afferat justificantem gratiam. Alioqui magna ex parte inclinatur in errorem Pelagii, quod sufficiat gratia revelationis, sine gratia adjuvante, ad salutem obtinendam. Et contra hoc melius procederent, contra hos auctores, omnia quæ de initio salutis, seu efficacia gratiæ, et de Pelagiano vel Semipelagiano errore ipsi nobis objiciunt, et tractata sunt capite tertio et sequentibus. Oportet ergo ut dispositio illa sit actu vere et in se supernaturalis, ac proinde necessarium est supernaturale principium, vere et physice juvans voluntatem ad eliciendum illum, quod non potest esse sine auxilio efficaci et actu influente.

Objectio. — Dicit forte aliquis, actum illum esse in se supernaturalem, et non fieri sine supernaturali auxilio gratiæ actu efficiente,

seu coefficiente cum libero arbitrio; non tamen fieri cum auxilio physice prædeterminante, et in hoc casu non fieri auxilio efficaci, quamvis fiat ab auxilio gratiæ. At juxta hanc responsionem, jam nobis datur auxilium physice prædeterminans non esse necessarium ad omnes actus supernaturales, qui sunt dispositiones remotæ ad gratiam, sed solum ad ultimam dispositionem. Quod imprimis non est constanter dictum; nam si illa prædeterminatio putatur necessaria ex vi subordinationis, et dependentiæ causæ secundæ a prima, æque invenitur hæc subordinatio et dependentia in actibus, qui sunt remotæ dispositiones ad gratiam, ac in ipsa dispositione ultima; si vero est necessaria propter supernaturalitatem actus, etiam illa dispositio remota supernaturalis est, et licet in eo ordine sit minus perfecta, nihilominus ad illam necessarium est verum auxilium efficax ejusdem rationis formalis cum auxilio efficaci ad ultimam dispositionem requisito, licet differant, sicut magis et minus perfectum, quod nihil refert ad præsentem difficultatem, de modo quo illud auxilium omnibus est præparatum, seu quo est in potestate hominis habere illud.

Probatur primo, quia, si ratio necessitatis est ut voluntas elevetur ultra suam potestatem naturalem, hæc etiam ratio locum habet in illa dispositione remota; nam in illa elevatur voluntas ultra suam naturam. Secundo, quia de illa verificantur Scripturæ locutiones: *Faciam ut faciatis; Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*, et similia, propter quæ necessarium est absolute fateri ad illam dispositionem necessarium esse auxilium efficax divinæ gratiæ. Quod si de illa dispositione remota verificantur hæc omnia, propter auxilium efficax alterius modi, absque prædeterminatione physica, quod nos dicemus esse vocationem congruam ad illum actum cum auxilio comitante ad illum (ex hypothesi quod talis actus inveniatur in nobis, de quo statim), profecto eadem ratione dicendum est, ad dispositionem ultimam sufficere simile auxilium efficax sine physica prædeterminatione; quia Scripturæ et Concilia eodem modo loquuntur de gratia necessaria ad omnes hos actus, eosque Deo tribuunt tanquam principali auctori, et tanquam facienti ut eos faciamus. Neque est ulla ratio quæ permittat, nedum cogat, hanc diversitatem auxilii efficaci contingere inter ipsos actus supernaturales, solum propter majorem vel minorem illorum perfectionem.

Præter hæc sequuntur duo alia absurda valde notanda, ex hac sententia. Unum est, hominem sufficienter vocatum ad fidem non posse immediate peccare peccato infidelitalis, non præbendo assensum rebus sibi propositis, sed necessarium esse ut peccet prius aliquo peccato omissionis alterius actus necessarii ante fidem; quod intelligi non potest nec cum fundamento affirmari. Sequela patet, nam ille incredulus non peccat immediate non habendo fidem, quia revera non potest, cum non determinetur a Deo, et juxta illam sententiam non possit velle credere sine ulla determinatione; ergo solum peccat quia non se disponit ad talem determinationem; necesse est ergo ut præcedat omissio peccaminosa alterius actus.

Quod autem hoc falsum sit, patet quia vel illa omissio est alicujus actus naturalis, vel est omissio alicujus actus supernaturalis; neutrum dici potest; ergo. Probatur minor quoad priorem partem, quia carentia naturalis actus per se non impedit auxilium efficax ad fidem; nam sicut naturalis actus non est necessaria dispositio ad fidem, ita nec carentia ejus est per se impedimentum talis auxilii. Item, quia vel illa omissio est mala solum quia impedit auxilium efficax, et hoc non, quia nullus actus naturalis liberi arbitrii est præceptus ex vi præcepti fidei, tanquam necessarius ad auxilium efficax, ut ostensum est; vel illa omissio est ex se mala contra aliud præceptum servandum, ut non impediatur auxilium efficax ad fidem, et hoc etiam vanum est, et sine fundamento, quia neque est necessarium ut semper occurrat tale præceptum, neque invenitur principium unde id colligi possit. Imo potius videtur repugnare quod, dum homo tenetur attendere ad res fidei, ut illis assentiatur, simul obligetur aliis præceptis affirmativis, quorum executionem debeat eodem tempore interponere, ut non impediatur auxilium efficax necessarium ad fidem. Denique eadem ratione peccator sufficienter vocatus ad agendam pœnitentiam non posset esse in culpa omittendo contritionem, nisi committendo prius aliud peccatum distinctum, quod poneret obicem auxilio efficaci ad contritionem; quæ omnia sunt absurda et sine fundamento dicta.

Atque eadem fere ratio est de omissione supernaturalis actus præcepti. Nam vel illud præceptum est distinctum a præcepto fidei, et hoc non, tum quia præceptum fidei inter supernaturalia videtur esse primum in obli-

gando; tum quia saltem non est necessarium aliud tunc occurrere; tum denique quia etiam ad illud aliud implendum necessarium erit divinum auxilium sufficiens, et redibit quæstio cur non etiam detur efficax. Vel illud præceptum est ipsummet præceptum fidei, et sic impossibile est quod transgressio ejusdem præcepti sit ratio ob quam negatur auxilium efficax, ad implendum illud ipsum præceptum. Nam transgressio illa supponit carentiam auxilii efficacis prædeterminantis; quomodo ergo potest esse ratio talis carentiæ? Sive enim illa culpa dicatur esse in ipsa incredulitate, sive in omissione dispositionis necessariæ ad auxilium efficax credendi, si illa dispositio solum est necessaria ex vi præcepti fidei ad auxilium efficax necessarium ad illam, pertinet ad auxilium efficax ad credendum; et de illo redibit quæstio cur non detur, quia hæc negatio non potest fundari in carentia talis dispositionis. Unde oportebit vel ad illam dispositionem postulare aliam, et sic abire in infinitum, vel sistere in auxilio efficaci, quod Deus sua sola voluntate det ac denegat; quod destruit sufficientiam gratiæ, et repugnat dictæ solutioni.

Aliud incommodum quod ex præcedenti sententia sequitur. — Aliud incommodum quod ex illa sententia sequitur, est dari aliquem actum minus perfectum contritione, ad quam infallibiliter consequatur contritio et gratia justificans, et sine quo non dabitur ad hæc auxilium efficax, quod non videtur admittendum.

Sequela probatur, nam juxta illam sententiam, si peccator a Deo vocatus ad pœnitentiam bene utatur præveniente ac sufficiente auxilio, infallibiliter obtinebit auxilium efficax ad contritionem; si vero non bene utatur sufficienti auxilio, non dabitur illi efficax; ergo ille bonus usus prævenientis auxilii, cum sit positivus, necessario est per aliquem bonum actum priorem contritione, et consequenter minus perfectum quam sit illa. Posito autem illo actu, dicitur infallibiliter dari auxilium efficax ad contritionem, et ex hoc auxilio infallibiliter sequitur contritio; ergo de primo ad ultimum ille prior actus minus perfectus contritione est ultima dispositio ad contritionem, quia perinde est esse ultimam dispositionem ad auxilium efficax contritionis, et ad contritionem ipsam. Quomodo enim dat Deus contritionem, nisi dando auxilium efficax ad illam? In hac autem materia nihil aliud est esse ultimam dispositionem, quam esse actum, se-

cundum legem ordinariam, ita necessarium ad aliud donum, ut illo actu posito infallibiliter conferatur tale donum, et non alias; ita autem comparatur ille bonus usus ad contritionem, juxta hanc sententiam. Hoc autem consequens esse absurdum patet, quia si ille bonus usus est naturalis, Pelagianum est dicere quod sit dispositio necessaria aut sufficiens ad contritionem. Si vero sit supernaturalis, nulla potest ostendi lex quæ obliget ad præmittendum talem bonum usum ante contritionem; nam peccator, vocatus sufficienter ad pœnitentiam, perfectam potest immediate elicere contritionem, sine alio imperfecto usu prævio; ergo falso dicitur talem usum esse necessarium secundum legem ordinariam ad auxilium efficax contritionis.

Et ulterius, dato tali bono usu imperfecto auxilii prævenientis, nulla ostendi potest promissio Dei dandi statim auxilium efficax ad contritionem. Nam, licet credibile sit ei qui bene utitur auxilio minori, dari aliquod majus, tamen, quod illud majus ex certa lege ac promissione sit determinatio physica ad contritionem, vel etiam quod necessario sit vocatio congrua immediata ad istam contritionem, nullo fundamento dici potest, nec videtur probabile. Quod declaro interrogando quisnam sit ille bonus usus prævenientis auxilii. Necessario enim est actus fidei, spei, timoris, attritionis, vel alius similis; quid enim aliud esse potest? At ex nullo istorum actuum minus perfectus sequitur infallibiliter vel ulterior actus perfectior, vel auxilium efficax ad illum (quod perinde est), nam posita fide et spe, potest homo non timere, et posita attritione quæ videtur actus propinquissimus contritioni, non sequitur infallibiliter auxilium efficax ad contritionem. Alioqui omnis qui bene uteretur auxiliis prævenientibus habendo attritionem, infallibiliter consequeretur a Deo auxilium efficax ad contritionem, et consequenter contritionem ipsam, ac subinde justitiam et peccati remissionem, quod plane fateri videtur loco citato, pag. 55 et 71, dicens: *Qui lethali culpæ subjacet si bene sufficienti utatur auxilio, præsto ei aderit auxilium efficax et cum eo gratia justificans.* At si hoc ita est, quid deest illi bono usui prævio, quominus sit ultima dispositio ad gratiam, quandoquidem illo posito infallibiliter sequitur et gratia ipsa, et quidquid ad illam necessarium est? Item Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 4, ad summum docet hominem per attritionem disponi ad impetrandam gratiam in sacra-

mento; supponens (quod omnes Theologi pro indubitato habent) hominem attritum extra sacramentum manere tantum attritum et in peccato; ergo non omnis qui bene utitur auxilio sufficienti ad attritionem, statim recipit auxilium efficax ad contritionem. Imo, ut probabilior fert sententia, etiam in ipso sacramento non necessario fit homo contritus, eliciendo proprium actum contritionis vel recipiendo auxilium efficax ad illum, sed per solam informationem gratiæ habitualis quam Sacramentum confert ex opere operato. Quod si bonus usus prævenientis auxilii, qui est per attritionem, non affert secum infallibiliter auxilium efficax ad contritionem, quis alius usus excogitari potest, qui vim habeat talis dispositionis, cum omnis talis actus maneat intra latitudinem remotarum dispositionum, et inter remotas dispositiones nulla sit propinquior contritioni quam attritio? In prima etiam sufficienti vocatione ad fidem inexplicabile est quænam dispositio libera antecedere debeat ut ex ea infallibiliter sequatur auxilium efficax ad volendum credere, et ad credendum. Nulla ergo ratione intelligi aut credi potest quod tale auxilium efficax, seu prædeterminatio physica in se non libera, sed ab alio recepta, sit in potestate hominis ratione alicujus positivæ dispositionis liberæ, ad quam tale auxilium infallibiliter consequatur. Superest ut de dispositione negativa seu privativa videamus, quod capite sequenti præstabitur.

CAPUT XVIII.

EFFICAX AUXILIUM NEC DARI EX NEGATIVA
DISPOSITIONE LIBERA.

Opinio adversariorum. — Est alter dicendi modus qui hoc auxilium ponit in potestate hominis, ratione alicujus liberæ dispositionis negativæ, quam liberum auxilium ex se, sine novo auxilio gratiæ habere potest. Ponitur enim talis dispositio libera ut ratione illius determinatio illa, et quidquid ex illa sequitur, libera esse possint; negativa autem ponitur, ut ad illam non sit necessarium illud auxilium efficax, nam hoc solum est necessarium ad positivum usum, et ita cessent processus et discursus facti contra præcedentem sententiam. Hanc opinionem insinuerant nonnulli ex prioribus defensoribus physiciæ prædeterminationis, illam tamen liberius tradidit atque explanavit P. Cabrera, disp. 2, § 11, n. 264 et sequentibus, dicens: *Auxilium ef-*

ficax supponit dispositionem negativam voluntatis, quam dispositionem, inquit, ex se inchoat voluntas. Neque est inconveniens concedere, ex naturali usu libertatis negativæ pendere, quod homini detur physica prædeterminatio, et efficax auxilium; et hac ratione ait inferius, *auxilium efficax incipere a nobis dispositive, quia determinatio pendet ex libera dispositione nostræ voluntatis negativæ, licet effective (inquit) sit a solo Deo.* Et addit hanc dispositionem talem esse ut, illa posita, infallibiliter sequatur determinatio Dei, et sine illa nunquam sequatur. Ac præterea admittit hanc causalem dispositionem: *Quia voluntas se disponit (scilicet sua naturali vi) ad talem actum (etiam supernaturalem), ideo Deus per auxilium efficax ad illum eam determinat.*

Nullo fundamento nititur prædicta opinio. — *Duæ gravissimæ difficultates, quæ frequenter urgentur contra prædeterminationem physicam.* — Ad hanc sententiam suadendam nullum fundamentum auctor adducit, sed, coactus vi argumentorum, illam invehit ut necessariam ad evadendas illas duas gravissimas difficultates, quas frequenter urgemus contra prædeterminationem physicam, scilicet, quomodo libere operentur, qui illa recipiunt; et quomodo libere omitant, qui illam non recipiunt. Nam, licet in aliis locis aliter respondeat, in his quæ proxime retulimus necessarium putavit ut in utrisque hominibus præcedat aliquod fundamentum liberum, vel talis prædeterminationis, vel carentiæ illius. Cum autem hoc fundamentum non possit esse positivum, propter dicta contra præcedentem sententiam, recurrit ad usum negativum, seu determinari a Deo, si non resistat nec prævium impedimentum ponat. Nam constat hoc pertinere ad libertatem voluntatis, cum hæc non sit tantum ad agendum, sed etiam ad omitendum. Constat item merito postulari hanc dispositionem seu conditionem ex parte hominis, cum sit necessaria ut voluntas ejus libere a Deo moveatur. Neque denique inconveniens est talem dispositionem sine gratia et sua libertate haberi, quia non est aliquid supernaturale, cum in mera negatione consistat. Hæc fere ille.

Subterfugium adversariorum eluditur. — Sed profecto melius et tutius fecisset, sentiendo prædictas difficultates, ex prædeterminatione physica subortas, illis cedere, et falsitatem illius positionis confiteri, quam hoc subterfugium confingere, nam et intelligi nullo modo potest, quia in verbis tantum et non in